



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

I. Ex eo quod Jesus sit sacerdos, sequitur esse Christum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

sacerdotium . . . Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel seipsum offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes, sermo autem jurisjurandi, qui post Legem est, Filium in æternum perfectum.

Ebr. 8. 1, 2. Capitulum autem super ea qua dicuntur, Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis, sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.

Ebr. 9. 10, 11. Christus autem assistens Pontifex futurorum honorum, per amplius & perfectius Tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.

Ebr. 10. 11, 12. Omnis quidem sacerdos preesto est quotidie ministrans, & easdem sepe offerens hostias, que nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.

Ex eo quod  
Iesus sit sa-  
cerdos, sequi-  
tur esse Chri-  
stum.

I. **S**PLENDIDUM est, & ad reprimendam Judæorum contumaciam accommodatum prædictum illud, quod extat in Psalmo centesimo nono, ubi Christus futurus esse prædicatur sacerdos secundum ordinem Melchisedec. Ac Psalmum quidem hunc humano generi Christum promittere fati probavimus in Propositione septima. Jesu vero imaginem in Melchisedeco positam fuisse ostendemus ad calcem Parallelismi, ubi varios Jesu typos colligimus à Veteri Testamento. Quo uno argumento Messiam sive Christum, hoc est Unctum, merito diei, ac revera esse Jesum Dominum facile vincimus. Triplex enim hominum genus inter Ebræos unctionis ceremoniis consecrabatur; Sacerdotes, Reges & Prophetæ. At utramque saltem dignitatem Sacerdotis ac Regis gessit Melchisedec, rex Salem, & Dei altissimi sacerdos: gessit utramque & Iesus, rex justitiæ & pacis, æternus Pontifex, *semper vivens ad interpellandum pro nobis*; gessit & propheticam præterea, ut suo docebimus loco; proindeque vere Christus est sive Messias, Unctus videlicet, non oleo illo de arboribus expresso, sed oleo lætitiæ; cum nimirum gratia & virtute Spiritus sancti natura ejus humana perfunderetur; quod & ipse de se prædicat apud Isaiam: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*. Egregie hoc argumentum prosequitur Eusebius non uno loco. Cautum erat, inquit, Judæorum legibus, ne quis sine unctione sacerdotium gereret; quamobrem & sacerdotes dicebantur Christi. Quem ergo sacerdotem esse Psalmus declarat, Unctum fuisse necesse est. Tum subjicit, juxta doctrinam capite octavo Epistolæ ad Ebræos traditam, unctionem illam Aaronis à Mose administratam, secundum exemplar ipsi in monte monstratum, figuram fuisse unctionis Christi, ipsumque Aaronem *ουνοδὴν καὶ εὐκονικόν* sacerdotem fuisse, typum videlicet ac simulacrum veri sacerdotis Christi Filii Dei, qui in cælo Patri asidet. Cum autem Philo in libro De somniis, & in libro De exilibus, Primogenitum Verbum Dei esse Messiam credunt, Messiam autem sacerdotem; atque id in Psalmo centesimo nono significatum esse arbitrantur. Caterum notabile est, quod in Midrasch Thehillim legitur, sacerdotii dignitatem ab Israëlitis propter peccata ablatam, ad gentes fuisse translata. Qua re & gentem suam reprobata, & vocatos esse à Deo Ethnicos, proindeque & Christum jam venisse fatentur. Messiam quippe vocationis gentium auctorem suis hic sæpe probatur locis.

Ebr. 7. 25.

Isa. 61. 1.  
Euseb. Dem.  
libr. 4. & 5.